



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXXX. de Consecr. Eccles. & Alta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

A D T I T. XXXX.

De Consecratione Ecclesie & Altaris.

AD num. in fin. adde. Busenb. lib. 6. tr. 3. c. 3. dub. 5. Ad Missam requiritur sub gravi sacrilegio Altare consecratum ab Episcopo, vel Abbate (hunc enim Altaria, Calices, & Campanas posse consecrare etiam ad usum alienarum Ecclesiarum docet Diana cum Barbof. & aliis ex declaratione Cardd. & privilegio Innocenti III.) vel Sacerdote privilegiato, stabile vel portabile &c. ubi de reliquis requisitis ad Missam.

Ad num. seqq. adde. Reconciliatio fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ (quale Superiores Regularium pro suis Templis habere quidam volunt,) si fuit Ecclesia consecrata, (quod præsumendum si celebretur Festum Dedicationis,) si verò fuit tantum benedicta, potest fieri Reconciliatio à simplici Sacerdote asperzione aquæ benedictæ cum facultate Episcopi, vel sine ea secundum Dian.

Ad num. 16. in fin. adde. Ex Sanni. tom. 3. dist. 5. q. 10. n. 26. Si corruant parietes, non tam violatur quam execratur Ecclesia, inter quæ discrimen, nam polluta Ecclesia polluntur etiam omnia Altaria; Execrata autem Ecclesia per lapsum parietum, non ideo etiam execrantur Altaria. Ita Abb Sylv. Item Busenb. lib. 6. tract. 3. cap. 3. dub. 4. ubi addit, quod non execretur per desolationem, exercitium hæreticum, spurci-

tias hominum, vel animalium illic stabulatorum &c. Et si doceat, & praxis habeat, ut per Episcopum vel Sacerdotem cum aliqua Ceremonia reconcilientur & abluantur, quod in simili casu etiam de Altari intellige. Ecclesia execratur, si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnium eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur.

Altare execratur, 1. si, cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura 2. Si ita frangatur sive fixum, sive portabile, ut in nulla ejus integra parte calix cum patena possit consistere. 3. Si spolietur sepulchrum, quod tamen quidam negant.

Calix execratur, si notabiliter frangatur, vel ita, ut fiat inutilis ad usum sacrificii, v.g. si foramen fiat in fundo licet minutissimum, vel si figura destruat, non tamen si intornatili pes separetur à cuppa, quia in eo consecratur sola cuppa. Neque execratur si pereat inauratio, quamvis soleant post novam inaurationem denuò consecrari, id tamen necessarium non est, etsi deceat, ut abluatur aquâ benedictâ. Ubi etiam vide, quando vestes sacræ execrentur, si saum perdant usum.

A D T I T. XXXXI.

De celebratione Missarum & Sacramento Eucharistia, & Divinis Officiis.

Questionem 17. tract. 2. de stat. Eccl. sponit Franc. de Arauxo. Utrum valor